



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

IV. Qvomodo Literas Episcopo Ottoni miserit Polizlaus dux.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

Metropolis fuit, hyemali tempore strictam per glaciam, non sine periculo exercitum ducens, inopinata clade percussit. BADAM quoq; ciuitatem munitam & fortem, valde fregit & succendit; Et omnem in circuitu eius regionem, igni & ferro vastauit; adeo, vt ruinas, & adustiones, & acervos cadauerum interfectorum, per diuersa loca, monstrarent post annos tres, ac si de strage recenti. Tam grauisime autem in illarum ciuitatum expugnatione subacti sunt, vt quos neci & captiuitati dux superesse passus est, cum suo principe, Christianos se atq; tributarios fore, quod iurare licuit, pro ingenti lucro ducerent. Ferunt autem, quod 18000 virorum pugnatorum neci traditis, 8000. cum vxoribus & paruulis, ad terram suam captiuos abduxerit, & in periculosis marchiarum locis, in vrbibus & castris eos collocans, quo terræ suæ præsidio forent, & cum hostibus suis, gentibus scilicet extraneis bella gererent, indixit. Hoc addito, vt abdicatis Idolis, Christianæ se religioni per omnia conformarent. Sed cum reliquos de gente perfida, quos in terra propria tributarios dimiserat, dux fidei Christianæ apponere curaret, omnes Episcopos terræ suæ conueniens, nulli persuadere potuit, vt illò ire atq; in tenebris & vmbra mortis sedentibus, lumen vitæ velle ostendere; singulis suas excusationes prætendentibus. Sicq; per triennium dilata est prædicatio.

QVOMODO LITERAS EPISCOPO

Ottoni miserit Poliz. laus dux.

ANDEM instinctu admonitus diuino, ad hoc opus OTTONEM Babergensem Episcopum, cuius tunc fama late in regnis effloruit, eò quod & hunc in adolescentia eius pater, sui capellani more obloquentem, notum & charum habuerit, inuitare decreuit: oportunum fore autumans, cum tali viro & an-

IV.

riquis renouarum amicitias, & tam sancti operis gratiam, illius iniungere sanctitati. Mittens ergo legatos & munera, scripsit ei literas, secundum verba hæc.

Epistola Poliz-
lai

Domino suo & patri amantissimo OTTONI, venerabili Episcopo, POLIZLAUS dux Polonorum filialis obsequij, humilem deuotionem.

Quia in diebus iuuentutis tuæ, apud patrem meum decentissima te honestate cōuersatum memini, & nunc quoque dominus tecum est, firmans te & benedicens tibi in omnibus vijs tuis, si tuæ non displicet dignitati, veteres tecum renouare amicitias, tuoq; consilio simul & auxilio vti ad DEI gloriam promouendam, ipsius gratia coadiuuante. Nosti enim, vt arbitror, quomodo POMMERANORVM cruda barbaries, non mea quidem sed DEI virtute humiliata, societati Ecclesiæ, per Baptismi lauacrum se admitti petunt. Sed ecce per triennium laboro, quod nullum Episcoporum vel sacerdotum idoneorum mihi uè affinium ad hoc opus inducere queo. Vnde quia tua sanctitas ad omne opus bonum prompta & indefessa prædicatur, rogamus, pater amantissime, non te pigeat, nostro comitante seruitio, pro Dei gloria, tuæque beatitudinis incremento, id laboris assumere. Sed & ego tuæ paternitatis deuotus famulus, impensas omnes & socios itinerum, & linguæ interpretes, & coadiutores presbyteros, & quæcunq; necessaria fuerint, præbebo, tu tantum sanctissime pater venire dignare.

QVOMODO CONSILIO CHO-

risus, literas Apostolico miserit, pro licentia petenda euangelizandi.

V.



IS auditis Episcopus, quasi de cælo vocem Dei loquentis accepisset, toto pectore abundantia lætitiæ repletus, gratias egit omnipotenti DEO, quod